

cedere potest : at se præbere non posset tanquam minori stipendio celebrantem, ut numerosiora obtineret stipendia ; tunc enim quædam videretur fieri mercatura divino sacrificio prorsus indigna. Unde Congr. concil., die 16 julii 1689, respondit talem praxim ab episcopo sub aliqua pœna imponenda prohiberi posse. Non expedit ut sacerdotes regulariter stipendium taxa inferius accipiat, sub prætextu quod illo non indigeat, ob gravia pro aliis sacerdotibus inde nascitura incommoda ; et episcopus id stricte prohibere potest, ut docet S. Ligorius, l. 6, n. 320, dub. 3.

8° Urbanus VIII decrevit nihil de consuetis elemosynis detrahendum esse in commodum ecclesiæ sacra indumenta et utensilia sacerdoti subministrantis, sed tantum ex missis fundatis in ea ecclesia celebrandis.

9° Quoniam plurimi sacerdotes, avaritia ducti, alias invenerant vias stipendia multiplicandi et missas promissas imminuendi, Urbanus VIII, Innocentius X, Congr. concil. et Alexander VII statuerunt 1° eum qui stipendia pro missis accepisset, licet stipendiis in diocesi taxatis inferiora, tot missas celebrare teneri ; 2° item qui plura exigua stipendia a diversis personis congegisset ; 3° qui majus percepisset, totum tradere teneri sacerdoti quem sibi vult substituere ; 4° duplex stipendium accipi non posse, unum pro fructu satisfactorio, et alterum pro fructu impetratorio ejusdem sacrificii ; 5° duplex accipi non posse stipendium, unum pro applicatione fructus specialis, et alterum pro applicatione fructus specialissimi ad celebrantem pertinentis ; 6° pluribus missarum intentionibus promissis per unicam celebrationem satisfieri non posse.

10° An sacerdoti ad celebrandum unice addicto duplex stipendium percipere liceat, unum pro celebratione, et alterum pro applicatione ? Bened. XIV, l. 3, cap. 22, n. 6 et 7, quæstionem perpendit nec dirimit. Duplex stipendium communiter apud nos sine scrupulis percipitur : v. g., sacerdos conducitur ad celebrandum die dominico vel festivo in ecclesia vel in sacello, retributio ipsi pro celebratione datur, et applicatio missæ relinquitur libera. Sic expresse *Dens.*

11° Ut omnes avaritiæ causæ vel suspensiones efficacius tollerentur, statuit S. Ignatius, societatis Jesu fundator, nulli e suis sacerdotibus licitum fore stipendium pro missæ sacrificio percipere.

*Notandum* quemlibet sacerdotem, intuitu stipendii principaliter celebrantem, peccato simoniæ inquinari, Christum pro argento iterum tradere, et mortaliter peccare. Unde valde suspectus est ille qui non celebrat nisi stipendia habeat.

§ III. — De modo satisfaciendi pro stipendiis acceptis.

P. I. *De intentione.*

1° Qui promisit se missam pro fine aliquo particulari applicaturum, sive stipendium acceperit, sive non, ad id tenetur ex justitia, quia verus adest contractus, et probabilius tenetur, sub peccato mortali, ut volunt *Collet* et plures alii, dicentes omissionem unius missæ grave damnum spirituale inducere ; contra *Billuart*, putantem hoc damnum in genere spiritualium non esse grave, cum levi stipendio redimi possit. Res saltem videtur dubia, et talis omissio sedulo cavenda est.

2° Specialis divini sacrificii applicatio a sola voluntate celebrantis pendet ; ipsius igitur intentio debet esse formaliter determinata : non sufficeret interpretativa, quam non habuit, sed habuisset si cogitasset ; nec indeterminata, quia fructus sacrificii manere non potest suspensus ; nec conditionata, nisi conditio sit impleta. Valeret vero applicatio a superiore graviter prohibita, quia actus voluntatis, etsi prohibitus et peccaminosus, est tamen validus.

3° Ad validam sacramentorum administrationem aut confectionem, virtualis saltem necessaria est intentio in ministro ; ad validam vero sacrificii missæ applicationem, habitualis sufficit intentio, quæ scilicet habita est et non fuit retractata. Talis est sententia vulgatio, juxta Bened. XIV, lib. 3, cap. 16, n. 8, addens : « Applicatio enim est quasi quædam donatio seu translatio fructus

» qui e missa percipiendus est; quæ donatio seu fructus  
 » translatio valida est, etsi multo tempore ante facta sit  
 » et multis actibus interrupta, dummodo revocata non  
 » fuerit. » Hinc valida est applicatio pridie facta, etsi  
 ipso die celebrans de illa non cogitet, modo aliam non  
 habuerit in mente.

4<sup>o</sup> In qua autem parte missæ faciendæ si applicatio ut  
 sit valida, non conveniunt theologi. Quidam, arbitrantes  
 communionem ad essentiam sacrificii pertinere, dicunt  
 applicationem fructus valide fieri posse etiam post conse-  
 crationem; alii vero, longe communius docentes totam  
 sacrificii essentiam in consecratione sitam esse, absolute  
 requirunt ut applicatio fiat ante consecrationem. Audia-  
 mus Bened. XIV, ibid., n. 9, dicentem: « Verum sacer-  
 » dos, se ut omnibus expediat difficultatibus, in præ-  
 » paratione ad missam, antequam sacris se vestibus  
 » induat, ne omittat sacrificii fructum applicare. » De-  
 inde consulit ut habeatur Tractatus asceticus Cardinalis  
 Bonæ, de sacrificio Missæ.

5<sup>o</sup> Docet etiam idem Pontifex « ad arcendos scrupulos,  
 » primo debere sacerdotem fructum ei applicare pro quo  
 » tenetur celebrare, vel beneficii, vel eleemosynæ, vel  
 » promissionis, vel alicujus præcipuæ obligationis ra-  
 » tione; deinde, sine illius præjudicio, fructum sacrificii  
 » applicare in charitate sibi conjunctis, seu quovis no-  
 » mine sibi commendatis, suam ipsius intentionem Chris-  
 » ti summi sacerdotis intentioni subjiciens. »

6<sup>o</sup> Quæstio est inter theologos an applicatio sacrificii  
 poni possit in voluntate Dei, qui ejus fructum ut sibi li-  
 buerit applicet: alii affirmant, et alii negant. « Sed tutis-  
 » sima regula est, inquit iterum Bened. XIV, ut sacerdos,  
 » antequam ad altare accedat, eas personas determinet  
 » pro quibus intendit orare, ut illis missæ sacrificium  
 » applicetur. »

7<sup>o</sup> Valde probabile est sacerdotes qui cum episcopo vel  
 cum alio sacerdote concelebrant, ut in die ordinationis,  
 feria V in cena Domini apud nos, in die consecrationis  
 episcopi, et frequenter apud Græcos, eleemosynas pro

hujusmodi missis diversis personis applicandis accipere  
 posse; unusquisque enim vere celebrat. Ita Bened. XIV,  
 post Card. de Lugo, Suarez et alios. Semper tamen re-  
 center ordinatis consulimus ut intentioni episcopi se con-  
 formet et pro sua perseverantia maxime orent.

8<sup>o</sup> Plures, sine stipendio celebrare nolentes, sibi per-  
 suaserant se, quando stipendium deerat, pro illo qui  
 primus stipendia conferret, valide missam celebrare posse:  
 sacra Cong. concil. ex mandato Clementis VIII, rem  
 examinavit et singularem hanc opinionem proscripsit per  
 Decretum diei 15 nov. 1605, quod Paulus V approbavit.  
 Hinc si parochus missam anticipate dicat juxta præsump-  
 tam intentionem sacerdotis missam parochialem pro se  
 celebraturi, invalide eam applicat, nisi dictus sacerdos  
 suam intentionem de facto prius determinaverit.

Qui tamen prævideret missas pro tali defuncto postu-  
 landas fore, eas ante postulationem valide applicaret, et  
 stipendium percipere posset, quia persona vere est deter-  
 minata. S. Ligorius, l. 6, n. 337.

9<sup>o</sup> Ad validam applicationem non necesse est ut inten-  
 tio exterius prodeat, voce aut scripto, aliove signo, modo  
 interius formaliter sit determinata, quod variis modis  
 recte fieri potest, v. g., dicendo intra se: Volo celebrare  
 pro tali persona, vel pro ea quæ tale stipendium mihi de-  
 dit, vel pro ea quæ prima, secunda, tertia, etc., missam  
 a me postulavit, vel pro ea cui a me primum promissa  
 fuisset, vel pro eo in purgatorio existente et magis dere-  
 licto, aut magis mihi conjuncto, aut qui se orationibus  
 meis magis se commendavit, etc.

10<sup>o</sup> Si fructus specialis missæ applicetur incapaci, do-  
 cent theologi illum in thesauro Ecclesiæ remanere, vel  
 sacerdoti aut illis pro quibus specialiter tenentur offerre,  
 cedere, quia celebrans talem censetur habere intentionem  
 implicitam. Sic Layman, de Lugo, S. Ligorius, etc. Quid-  
 quid sit, consultum est in missis gratuitis eas secundario  
 applicare vel nobis vel aliis personis, ex hypothesi quod  
 persona principalis sit incapax: in missis ex stipendio de-  
 bitis, præsumendum est stipendium offerentem velle ut

fructus sacrificii, defectu personæ a se commendatæ, in beneficium propinquorum suorum vergat: non nisi ergo post hanc præsumptam intentionem, alias secundarias intentiones habere possumus. Ita S. Ligorius, l. 6, n. 336.

11° Qui decem accepisset stipendia pro missis decem personis diversis applicandis, earum nomina et ordinem ignorans, non satisfaceret singula sacrificia pro singulis indeterminate applicando, quia nullus esset finis reipsa determinatus; sed unamquamque missam omnibus simul applicando satisfaceret, quia, cum, nemine dubitante, fructus sacrificii sit divisibilis, unusquisque decimam partem in singulis sacrificiis accipiendo, quod sibi debetur obtineret.

P. II. De altari privilegiato.

1° Altare privilegiatum illud est cui plenaria annexa est indulgentia, his applicanda defunctis pro quibus missa celebratur, vel quotidie, vel quibusdam diebus in singulis hebdomadis. Aliquando privilegium inhæret personæ sacerdotis, qui, ubicumque celebret, indulgentiam privilegii applicare potest.

Antiqua citantur exempla hujusmodi privilegiorum, et unum tribuitur Paschali I, anno 817.

2° Ex consueta forma Brevium apostolicorum, privilegium altaris concedentium, indulgentia ab applicatione missæ separari non potest. Unde missa principaliter offerri non potest pro vivente aut pro alio mortuo, ab eo cui applicanda est indulgentia diverso.

3° Supponitur etiam missam debere esse defunctorum seu *de Requiem*, et S. Congr. Rituum sic definiisse perhibetur: sed Alexander VII, anno 1667, Clemens IX, anno 1669, et Innocentius XI, anno 1688, ab ea regula exceperunt festa duplicia, dies dominicas, dies intra octavas Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Domini, et generatim dies in quibus rubrica colorem nigrum non permittit.

Cum in multis diœcesibus speciales existant rubricæ, quæsitum est an ad validitatem privilegii missa celebranda

esset juxta rubricam Romanam, vel juxta rubricam propriæ diœcesis; theologi Romani ad nos responderunt, anno 1828, sequendam esse rubricam propriæ diœcesis. Hæc aliunde responsio in gravibus fundatur motivis. 1° S. Rit. Cong. respondit, die 31 aug. 1743, missam celebratam juxta rubricas missalis Ambrosiani, gaudere privilegio: quare non valeret cum celebratur secundum rubricas ritus canonice præscripti? 2° Summi Pontifices non ignorant in multis Galliarum diœcesibus speciales existere ritus, et tamen privilegia concedendo, nullam exprimunt conditionem. 3° Regulares particulares etiam habent ritus, et nunquam dubitaverunt se valide uti privilegio altaris eos sequendo.

4° Si privilegium, sive reale sive personale, non sit quotidianum, sed, ut frequenter, pro tribus diebus in singulis hebdomadis, videtur quod sacerdos, aliunde non impeditus, eligere deberet dies in quibus missam *de Requiem* dicere posset, siquidem per quamdam dispensationem tantum indulgentia privilegii cum missa de die applicari potest. Si tamen missa celebranda esset die determinato, missam votivam non permittente, ex foundatione, ex voto missam petentis, ex propria celebrantis devotione, privilegium applicari posset cum missa de die. *Cavaleri*, t. 3, cap. 14, decreto 5, p. 50.

5° Si SS. Sacramentum in altari privilegiato exponeretur, cum, ex rubricis, missæ *de Requiem* ante illud dici nequeant, quælibet aliæ missæ sive diæ, sive votivæ, ad applicationem indulgentiæ sufficerent, ut expresse decrevit S. R. Cong. die 21 julii 1751.

6° Qui in suo breviario habet officium duplex et celebraturus est in ecclesia ubi fit de semiduplex vel infra, dicere debet missam *de Requiem*, secundum *Merati*, part. 1, tit. 5, si privilegio altaris uti velit, quia nullum est impedimentum: missa enim secundum ritum ecclesiæ in qua celebratur ordinari potest, imo et debet, quando ibi fit de duplici; *Romsée*, t. 1, p. 65. A fortiori si habet officium semiduplex vel infra, et celebrat in ecclesia ubi fit simile officium, cum missam votivam celebrare possit, dicere

debet de *Requiem* ad applicandam privilegii indulgentiam.

7° Ex decreto Congr. Indulg. a Clemente XIII, die 19 maii 1761 approbato, quilibet sacerdos, sive regularis, sive sæcularis, gaudet privilegio personali pro die Commemorationis omnium fidelium defunctorum. An hæc indulgentia applicanda sit omnibus in genere definire non audemus.

8° Majus exigere aut petere non licet stipendium ob indulgentiam altaris privilegiati applicandam: tunc enim quoddam esset mercimonium rei sacræ, ac proinde grave simoniæ piaculum.

9° Nihilominus stricta existit obligatio tot celebrandi missas ad altare privilegiatum quot fuerunt promissæ, et quisquis aliter ageret, contra justitiam peccaret. Unde qui ex culpa vel sine culpa plures accepisset missas ad altare privilegiatum celebrandas quas celebrare non potest, tenetur curare eas ad aliud altare certo privilegiatum celebrandas, vel obtinere a summo Pontifice privilegium personale his missis correspondens. Pro celebratis ad aliud altare debet, juxta plures, eas repetere. Alii tamen dicunt satisfactum esse substantiæ obligationis et sufficere applicare defuncto vel defunctis parem numerum indulgentiarum plenariorum defunctis applicandarum. *Cavallieri*, t. 4, cap. 14, decret. 11, n. 4.

10° Confessio sacramentalis et aliqua oratio, secundum intentiones summi Pontificis, ad lucrandas indulgentias plenarias ordinariè requisitæ, pro applicatione indulgentiæ altaris privilegiati non præcipiuntur. Nec status gratiæ in ministro ad validitatem indulgentiæ necessarius est, quia indulgentia in eo non suscipitur, nec a dispositionibus ejus pendet, sed ipsi sacrificio missæ annexa est.

11° Quando dicitur missa diei non necesse est ut inse-ratur oratio pro defuncto cui applicanda est indulgentia; nullibi enim eam invenimus præscriptam, et nobis responsum est Romæ eam non requiri.

12° *Notandum* brevia altaris privilegiati ordinariè ad septennium a die expeditionis numerandum concedi, et ideo cavendum est ne tempus ultra limitem concessionis protrahatur.

S. Congr. Indulg. respondit anno 1841, ignoramus diem, licet responsio sit authentica, quod si a Sancta Sede indultum locale altaris privilegiati concedatur, nulla mentione facta de qualitate altaris, solum altare fixum est privilegiatum, non vero altare portatile.

Quædam alia minus necessaria circa altare privilegiatum videri possunt in nostro Tractatu gallico, *des Indulgences*.

### P. III. De qualitate missarum.

1° Generatim loquendo, eæ celebrandæ sunt missæ quæ fuerunt promissæ, id est, de *Requiem*, de Spiritu sancto, de B. Virgine Maria, de aliquo sancto, etc.; sunt enim fideles qui majorem habent devotionem pro tali quam pro tali missa, et eam quæ sibi magis arridet licite postulare possunt: ergo qui precibus eorum acquiescit, promissum tenere debet.

Diximus *generatim loquendo*; quia si missa postulata fuerit pro die in qua rubrica missas votivas non permittit, per missam diei in honorem sancti, aut sanctæ, aut mysterii, aut pro defunctis oblatam, satisfiet petitioni.

2° Qui tamen missam de *Requiem*, vel aliam votivam promisit, et missam diei celebrat, graviter non peccat; imo nullum est peccatum si id ob aliquam rationabilem causam fiat, quia grave non videtur inferri no-cumentum, cum substantia sacrificii semper sit eadem. Ita plures apud S. Ligorium, qui eos, l. 6, n. 328, probat.

3° Qui missam promisit in tali ecclesia vel capella, pro tali die, ad tale altare, eam sic tenetur celebrare, saltem sub peccato veniali, quia verus existit contractus, et sub peccato mortali, si rationabilis non existat causa promissionem non servandi, et contrahens ex illa infractione graviter sit offensus.

4° Si postuletur missa hora intempestiva vel in loco remoto celebranda, majus exigere licet stipendium arbitrio episcopi taxandum, si jam consuetudine non sit determinatum, quia incommoda horæ, temporis vel itineris sunt onera pretio æstimabilia. Ita *Collet*.

Sic episcopi majora statuerunt stipendia pro missis in quibusdam locis piarum peregrinationum celebrandis, vel pro missa et assistentia officio defunctorum in vicinis parochiis.

5<sup>o</sup> *Petitur an presbyteri recenter ordinati tres missas ab episcopo sibi impositas, unam de Spiritu sancto, aliam de B. Virgine, et tertiam pro defunctis, sub peccato dicere teneantur, qua intentione, quo tempore et quales missas. Suarez, Lessius, Layman, et alii putant eas persolvendas esse sub mortali. At communius et probabilius docetur 1<sup>o</sup> hanc obligationem non esse sub gravi, quia nullibi sic exprimitur; 2<sup>o</sup> intentionem illarum missarum non determinari ab episcopo, qui tantummodo dicit, *et etiam Deum pro me orate*: unde concluditur non esse obligationem eas applicandi juxta intentionem episcopi; 3<sup>o</sup> dicendas esse missas votivas de Spiritu sancto, nisi intra octavam Pentecostes celebranda sit; de B. Virgine, nisi festum ejus aut officium in sabbato occurrat, et de *Requiem*; 4<sup>o</sup> has missas non prius dicendas esse quam occurrant dies non impediti, et interea alias celebrari posse missas rubricis præscriptas. S. Ligorius, l. 6, n. 829.*

P. IV. *De dilatione missarum.*

1<sup>o</sup> S. Cong. concil decretis diei 21 junii 1625, ex auctoritate Urbani VII latis et ab Innocentio XII confirmatis, declaravit sacerdotes eleemosynas manuales pro missis celebrandis accipere non posse, nisi infra modicum tempus omnibus sibi impositis oneribus satisfacere valeant. Hinc S. Ligorius, l. 6, n. 317, quærit. 2, aperte dicit sacerdotem qui missas ex accepto stipendio celebrandas diu differt, mortaliter peccare.

2<sup>o</sup> Quanta autem esse debeat dilatio ut censeatur longa, vel ut *modicum tempus* a Congregatione assignatum excedatur, res a diversis pendet circumstantiis. 1<sup>o</sup> Si missa pro aliqua urgente necessitate petatur, v. g., pro agonizante, pro muliere parturiente, pro terminanda lite hodie judicanda, etc., dilatio in crastinam diem mortalis esset

quia circumstantia temporis ad substantiam petitionis pertinet: imo, elapso tempore, restituendum est stipendium, et monenda persona quæ missam postulaverat, quia intentio ejus non fuit impleta, nec jam impleri potest. Ita plures apud S. Ligorium. 2<sup>o</sup> Idem S. Ligorius docet eum peccare sacerdotem qui, accepta eleemosyna ut tali die festo celebret, non ipso die, sed crastino celebrat: quod quidem nobis videtur certum, etsi peccatum non semper futurum sit mortale. 3<sup>o</sup> Si eleemosynam præstans, ab accipiente rogatus, in dilationem consentiat, nulla est difficultas; celebrationem missarum per totum tempus concessum differre licet.

3<sup>o</sup> Præcisus vero his casibus, quid intelligendum sit per modicum tempus, non sibi consentiunt auctores: plures tamen illud ad duos menses extendunt ad summum, et alii non rigidiores, ut Salmanticenses, Paludanus, *Escobar*, *Sporer*, *Roncaglius* et *La Croix*, apud S. Ligorium qui eis consentit, dilationem unius mensis, in missis pro defunctis, reputant gravem. Tutius est igitur consensus a præstantibus eleemosynam petere, ut missæ tempore magis opportuno celebrari vel aliis celebrandæ committi possint.

4<sup>o</sup> Ubi magna missarum quantitas eidem sacerdoti simul traditur, vel ubi stipendia offerens scit eum sacerdotem multis oneratum esse missis, aut missas sibi commissas aliis sacerdotibus stipendio carentibus distribuere, data occasione, consuevisse, tunc legitime præsumitur consensus in longiorem et rationabilem dilationem.

5<sup>o</sup> Si magna missarum quantitas tribuatur communitati in qua multi sunt sacerdotes, præsumendum est non tantam concedi dilationem; eleemosynam enim tribuens rationabiliter sperare potest fore ut missæ inter plures sacerdotes distribuendæ sint, non tamen inter omnes nisi id expresse sibi promissum fuerit, quia judicare debet communitatem alia habere onera quibus satisfaciendum est.

## § IV. — De missis fundatis et earum reductione.

1<sup>o</sup> Ultima testatoris voluntas, quoad pia onera, reputatur sacra; et qui, sine justa causa, ei non satisfacit quoad locum, tempus, intentionem et qualitatem missæ, evidenter peccat, et quidem graviter si ita sæpe faciat, etiamsi hæredes consentirent, inquit Sylvius, Navarrus, *Azor*, etc., quia neque sacerdos neque hæredes voluntati testatoris derogare possunt. Episcopi, justa de causa, a conditionibus appositis dispensare possunt, quia « tanquam Sedis » Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis omnium » piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam » inter vivos, sunt executores: » sunt verba concilii Trid., sess. 22, cap. 8, de Reform. Arbitrantur in Gallia se hanc habere facultatem vi suæ dignitatis, et illa quotidie utuntur.

2<sup>o</sup> Plures a peccato mortali excusant eum qui, uno alterove die singulis mensibus, in alio loco quam a testatore determinato, celebrat, nisi in altari privilegiato celebrare teneretur; et nullo modo peccare, si ex necessitate sic agat, v. g., quia locus designatus fuit destructus, aut factus est indecens: sed in eo casu, quamprimum recurrendum est ad episcopum, qui statuet quid faciendum erit, nisi res per se pateat et non sit duratura, ut si altare cui celebrandum est exsecretur, aut si tunc impediat.

3<sup>o</sup> Rationes ob quas episcopi a conditionibus per testatorem appositis dispensare valeant, sunt utilitas ecclesiæ in qua celebrandæ sunt missæ, infirmitas capellani, ejus applicatio ad studium aut alia pretiosiora officia, nimia adeundi ecclesiam difficultas, et alia similia: quæritur quid rationabiliter voluisset defunctus in tali circumstantia, si eam prævidisset; et, cum suam voluntatem manifestare nequeat, episcopus eam interpretatur.

4<sup>o</sup> Sæpe contingit ut onera a fundatoribus imposita census annuos ab eis relictos excedant sive a principio, sive quia illi census decursu temporum imminuti sunt, sive quia pars illorum periit. Concilium Trid., sess. 25,

cap. 4, de Reform., dedit facultatem « episcopis, ut in synodo diœcesana, abbatibus et generalibus ordinum, ut » in suis capitulis generalibus, re diligenter perspecta... » possent statuere circa hæc quidquid magis ad Dei honorem et cultum atque ecclesiarum utilitatem viderent » expedire.»

Verum S. Congr. concilii, per decretum diei 21 junii 1625 jussu Urbani VIII editum, et ab Innocentio XII, die 23 decembris 1697 confirmatum, districte prohibuit ne episcopi in synodo diœcesana, aut generales in capitulis generalibus, missarum onera post concilium Trid. imposita aut in limine foundationis, reducerent vel commutarent, sed pro his reducendis, moderandis aut commutandis, ad Sedem Apostolicam recurrendum esse. Decretum igitur concilii Trid. de solis missis antea fundatis intelligendum est. In ipsomet tamen decreto Congregationis declaratum est episcopos facultate missas recenter fundatas reducendi uti posse, si testator eam expresse ipsis concesserit.

5<sup>o</sup> Causæ vero ob quas Sedes Apostolica missas reducere consuevit, sunt: paucitas sacerdotum, stipendii tenuitas, augmentum stipendii currentis, redituum monasterii extenuatio, majores expensæ ad victum, necessitas communitatis vel ecclesiæ in qua est fundatio.

6<sup>o</sup> Si reditus in principio sufficientes, facti fuerint oneribus impares, *Fagnani*, S. Ligorius alique Ultramontani opinantur non sublatam fuisse episcopis facultatem, quam de jure communi habent, missas moderandi vel commutandi. Nituntur Decretal. l. 3, tit. 25, cap. 3, et concil. Trid., sess. 25, cap. 8 de Reform., et dicunt hanc suppressionem in præfato Congregationis decreto non contineri.

7<sup>o</sup> In Gallia autem semper viguit consuetudo ut episcopi extra synodum diœcesanam et absque canonicorum assistentia, missas foundationis, sine ulla exceptione, pro arbitrio reducerent, moderarentur ac commutarent, ea ratione quæ magis expedire ipsis videretur ad Dei honorem et cultum, atque ecclesiarum utilitatem, « ita tamen ut

» eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui,  
 » pro suarum animarum salute, legata ea ad pios usus re-  
 » liquerunt.» Concil. Trid., sess. 25, cap. 4, de Reform.  
 Idem *a fortiori* faciunt pro officiis, anniversariis et qui-  
 buscumque precibus fundatis.

8° In foundationibus, sive creandis, sive reducendis, ali-  
 qua redituum portio, et ordinarie tertia pars circiter assi-  
 gnatur fabricæ ecclesiæ quæ onus habere debet invigi-  
 landi ut reditus annui percipiantur, missæ celebrentur,  
 officia pia expleantur et titulus non pereat: hæc quippe  
 sunt onerosa; et nulla ecclesiæ gratis ea ferre teneri po-  
 test. Unde si casu, calamitatibus temporum, aliove modo,  
 justo vel injusto, census pereat, obligatio ei annexa ex-  
 stinguitur: secus, semper remanet, nec adversus illam,  
 censu remanente, præscribi potest, ut probat S. Ligorius,  
 l. 6, n. 324, contra non paucos, qui contendunt adversus  
 hujusmodi obligationem, sicut contra quamlibet servitu-  
 tem, præscribi posse, datis conditionibus requisitis. Vide  
 DD. *Affre*, 4° edit.; pag. 546.

Si census foundationibus oneratus negligentia adminis-  
 tratorum (*marguilliers*) perierit, non videtur ecclesiam ad  
 implenda onera adhuc teneri, nisi in quantum ditior inde  
 facta esset. *Ferraris*, v° *Miss. Sacrif.* art. 2, n. 34.

Si autem administratores graviter peccaverint theolo-  
 gice, ad restituendos census sua culpa præscriptos tenebun-  
 tur, etiam ante sententiam judicis; si juridice tantum  
 peccaverint, ad restitutionem non tenebuntur ante judi-  
 cis sententiam.

9° Bened. XIV, de Synod. diœces. l. 13, cap. ultimo,  
 n. 15, docet missarum reductionem cum missarum non  
 celebratarum condonatione non confundendam esse. Re-  
 ductio futurum tempus et condonatio præteritum respicit.  
 Expresse affirmat dictus Pontifex maximus in condonatio-  
 nibus episcopum nunquam se immiscere posse, sed solum  
 Romanum pontificem, qui examinatis prius omissionum  
 causis, opportune providet, supplendo omissionibus ex  
 thesauro ecclesiæ. Non admittitur hujusmodi condonatio  
 si petentes malitiose egerint.

Eodem principio innixus summus Pontifex condonare  
 potest, et reipsa pluries condonavit parochis et canonicis  
 applicationes missarum omissas.

Episcopi etiam in Gallia tales impertiri nequeunt con-  
 donationes in favorem sacerdotum qui emolumenta perce-  
 perunt vel missas alio titulo personali debitas omiserunt,  
 quia ex spirituali ecclesiæ thesauro sic plenissime supplere  
 non possunt.

At statuere solent in Gallia quid facere teneantur eccle-  
 siæ pro reductibus perceptis et oneribus eis corresponden-  
 tibus non expletis, non quidem condonando, sed authen-  
 tice declarando quænam obligatio, attentis omnibus  
 circumstantiis, extiterit et adhuc implenda remaneat.?

## CAPUT SEPTIMUM.

### DE CONDITIONIBUS AD LEGITIME CELEBRANDUM REQUISITIS.

Multa in eo capite dici possent: præcipua et in praxi  
 frequentiora colligentes, dicemus 1° de diversis liturgiis;  
 2° de singulis liturgiæ nostræ partibus; 3° de variis missa-  
 rum speciebus; 4° de loco ubi missa celebranda sit; 5° de  
 altari et ejus ornamentis; 6° de vestibus sacris; 7° de va-  
 sis sacris; 8° de rubricis servandis; 9° de defectibus in  
 missa occurrentibus; 10° de hora qua celebrare liceat;  
 11° de præparatione et gratiarum actione celebrantis;  
 12° de interruptione missæ.

### ARTICULUS PRIMUS.

#### DE DIVERSIS LITURGIIS.

1° Liturgiæ nomine intelligitur ordo lectionum, pre-  
 cum et caeremoniarum quæ in offerendo missæ sacrifi-  
 cio adhiberi solent: tot igitur sunt liturgiæ diversæ quot  
 existunt hujusmodi ordines in celebrando missæ sacrificio  
 usitati.

2° Christus divinum illud sacrificium instituens, partes